



Universitätsbibliothek Paderborn

V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, Opera Omnia Ascetica

Aucta Duobus Opusculis De Effectibus, Fructu, Et Applicatione Sanctissimi
Missæ Sacrificii, Et De Sublimitate Perfectionis Religiosæ. Catalogum
Tractatum Asceticorum Omnium Vicina Post Dedicacionem Pagina
Indicabit

V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, Fasciculus Exercitiorum Et
Considerationum, De Præcipuis Veritatibus Christianæ Fidei Et Sapientiæ -
Ad efformationem Christianæ vitæ, consecutionem salutis æternæ
collectus: & usui accommodatus

Druzbicki, Kaspar

Ingolstadii, 1732

VD18 90066332

Pars I. Erga Unum & Trinum Deum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45396

10 *Exerc. 1 Quid sit, & quod sit Deus.*

Exerc. 7. De Arctâ, & Spatiosâ Viâ ad Æternitatem.

Exerc. 8. De Industriis quotidiana conversationis cum Æternitate.

Exerc. 9. Quibus operibus obtineatur Æternitas Misera, vel Beata.



EXERCITIORUM

PARS I.

Erga Unum & Trinum DEUM

EXERCITIUM I.

Quid sit, &, quod sit DEUS.

I.

STatue te in conspectu DEI, Unius in Trinitate, Trini in Unitate. Unius in Essentiâ, Trini in Personis; Patris, Filii, & Spiritûs Sancti. Hic est Verus DEUS, & non apponetur alius ad eum.

2. Cogita, agnosce, confitere, DEUM esse, & cogitari, & dici, id quod Est, &, Eum qui est: & eum, quem non esse, & non existere est impossibile: Qui est Ens per omnia: Ens ante omnia: Ens sine omnibus. Ens à se ipso solo, & à nullo

Exerc. I. Quid sit, & quod sit Deus. II

nullo alio, neque cum ullo alio, nisi quod est ab ipso. Ens, ante quod nihil fuit, post quod nihil erit, quia ille semper & sine ullo fine erit, & ab illo solo erit, quidquid unquam fuit, est, erit.

3. Deus Est. Et Ens Entium est. Ens Essentiale, Essentia Essentiarum, Essentialis Essentia, abyssus, & abyssalis Essentia, abyssus Entitatis, pura, plena, simplex una, omni- una essentia, atque Entitas.

4. Deus est: omnia Actu: purus actus, unus actus, omnis & omnia actus. Omnis possibilitatis & potentiae actualitas, plenusque actus, etiam omnipotentiae, ipsissimaque omnipotentia. Pelagus Essentiae. Entitatis Oceanus. Fontalis Entitas. Originalis Essentia, & origo omnium Essentiarum. Originem ipse nullam habens: sed origo originum omnium ipsa existens. Ens verum, & vere plureque Ens: nihil nihili: omni- que nihilo vacuum, & impossibilitatem habens cum nihilo. Omnis omnitudo: omne omnium, totus Actus totumque actu. Potentiâ nihil, omnia actu.

5. Deus est hoc, quod à Deo cogitari solo potest. Nihil horum, & hujus, quod à quocunque alio, non Deo, cogitari potest. Nihil horum, sed suprâ hoc infinites aliud, melius, plenius, dignius, perfectius, quod nos cogitamus de Deo. Totum, simplex, totum unum, totum suum, totum sibi, totum omne Esse, & essentiale, & essentialiter, & essentia esse.

6. Deus est: & ipsum Esse est: & ipse verè, purè, plenè, essentialiter est. Nemini debet esse, nisi soli sibi: quia à se ex se, in se, per se, apud se,

12 *Exerc. I. Quid sit, & quod sit Deus.*

se, solo se, est, quidquid est: quidquid autem est, omne quod esse cogitari congruit & potest; hoc verè, & actu, & reipsâ, & essentiâ, essentialiterque est.

7. Deus est: & est totum, quod Deum esse decet: & nihil est; quod Deum esset non decet. Omne bonum, & omnibonus, & omnia bona, & pura, putaque bonitas, & origo omnis bonitatis, & mare omnis boni. à quo, & per quem omne bonum: sine quo nihil, & nullum bonum: extra quem nihil bonum: imò omne Nihil: & omne Malum: solumque Nihil, & solum Malum.

8. Deus est: Ens & Essentia. Entitas & existentia. Unus & Unitas Trinus & Trinitas. Vivens & Vita. Sapiens & Sapientia. Omnipotens & Omnipotentia. Justus & Justitia. Misericors & Misericordia. Verus & Veritas. Caritas & diligens omnia. Nullius egens, continens omnia. Lux tenebras habens latibulum suum: & tenebræ in eo non sunt ullæ. Immutabilis, mutans & firmans omnia. implens minima, excedens summa. Inferior infimis, intimior intimis, altior summis, latior latitudine, longior longitudine, abyssis profundior, ex quo omnia quæ sunt: sed coram eo quasi non sunt. cui omnia sunt, etiam quæ non sunt: quia in manu ejus sunt, perinde, ac ea quæ de facto ab eo creata sunt.

9. Deus est: Verus, verè, & Veritas. Vivens & vita: Rationalis, & ratio prima, summa, omnis. Rectus, rectitudo, regula, inflexibilis, infallibilis, indeclinabilis. Huic quidquid congruit, rectum est: quidquid ab eâ declinat, rectum non est, nec esse potest. 10.

Exerc. I. Quid sit, & quod sit Deus. 13

10. Deus est: Pulcher, & Pulchrum, & Pulchritudo. omnium pulchrorum fons. sine quo nihil pulchrum: à quo omne pulchrum: coram quo tamen nihil pulchrum: nisi in quantum ab eo accipit ut sit pulchrum: quod tamen ipsius fontali pulchritudini comparatum, non meretur esse, aut dici pulchrum.

11. Deus est: Bonus bonum, bonitas, Faciens omnia bona, & dans omnibus bonitatem. Sine quo nulla est ullibi bonitas, bonique nihil.

12. Deus est: Amor sui & suus. Amans se, & omnia in se, ex se, propter se. Amativus, & Amabilis, & amandus absque mensurâ, absque modo, absque præmio, absque spe mercedis. Summum enim, & unicum præmium est; Amare illum: & Amor illius, tantò majorem mercedem habens, quantò magis nullam sperat.

13. Deus est: & ejus Voluntas est Potentia. Velle est posse. posse est facere: facere est Sanctum esse. Ei subest cum voluerit omnia posse. In ejus ditione cuncta sunt posita. Nec est qui possit ejus resistere voluntati.

14. Deus est: Vincens scientiam nostram. Magnus & incomprehensibilis cogitatu. Magnitudinis non habens finem: immensus & implens omnia, nusquam tamen conclusus. intra omnia, extra omnia, ultra omnia, super omnia, infra omnia.

15. Deus est: Majestas, Dignitas, Celsitudo, Claritas, Gloria, Dominatio, Potestas, Rex, & Regnum. Imperans, & Imperium. Provisor, & Pater, dans omnibus omnia. Ipse nemine indi-

14 *Exerc. I. Quid sit, & si quod Deus.*

indigens, nisi ad hoc, ut habeat, cui bene faciat.

Iste est Deus meus: & exaltabo eum. Iste est Deus: & hoc cogito, dum aliquid de Deo, dignum Deo cogito: quamvis ille infinites infinitè perfectius, atque dignius, quiddam est, quam quod, & quomodo ego cogito.

P R A X I S.

ODEUS, ó Divinum: ó Deitas, ó plenitudo, atque omnitudo Deitatis. Unus, unicus, unissimus, unitrinus tamen Deus. Non desertus solitudine, sed beatus Unitrinitate & Trinitate sua Deus. Te ipso Ens. Tua ipsius Essentia. Totus, & semper ex te, & per te, & in te, & propter te. Tu tuatibi omnia. Tu beatus, & beatitudo tua. & hæc est ab aeterna omnis occupatio tua, quod sis, & non esse non possis Beatitudo tua. Ob hoc te amat: hoc tibi gratulatur, ex hoc de te gaudet universa Entitas mea: quia Tu es. quia es id quod es: quia ex te, & à te es. quia te, omni bonitate plenus es: quia perfectio tua, & dignitas, & gloria tota tibi es. quia te ipso consummate beatus, completa beatitudo es. Istud te esse, & abs te esse, & aeternaliter esse, Tantum volo, tantum amo, tantum gaudeo, tantum exulto, quantum praevalere posse: quantum dignum est, & tu donas me posse: quantum possem, si quantum tu potes, tantum dares mihi posse: quantum & vellem, si quantum Tu potes, ego quoque possem.

EXER-

EXERCITIUM II.

Quid sit Creatura.

1. **S**Tatue te in conspectu DEI Unius in Trinitate, & Trini in Unitate: eo modo, quo S. Franciscus solebat sese constitüere, & in oratione DEI pernöctare, sollicitissimâ humilitate, quæstiones has duas repetent, simulque recolens: (Quis tu? & quis ego Domine?) Quid sit Deus? jam in priore Exercitio vidisti: quomodo Nictico-races, Noctuæ, & Talpæ Meridianum solem videre solent. Quis sis, & quid sis Tu, jam vide.

2. Quid est Creatura? quod verius, plenius, adæquatus, responderi, & affirmari potest; est Nihil: qui Creaturam esse Nihil, dixit; dixit de eâ, deque totâ ejus Entitate, atque substantiâ, totum quod revera est: revera enim Creatura Nihil est. Non ens est, non est.

3. Opposito per omnia modo se habens ad Deum. Ut enim Deus est qui est: sic Creatura est quod Non est, seu Nihil est. Ut Deus est purum, primum, solidum, verumque Ens: sic Creatura est purum, putum, ac solidum merumque Nihil. Ut DEUS, est essentialis essentia, & essentialiter Ens, atque Existens: sic Creatura, essentialiter, & essentialiter est Nihil, & non ens, & non est. Ut Deus, ipsi sibi est fons & origo Essendi: estque id quod est, à semet, & ex semet, & semetipso: sic Creatura ipsa sibi est fons, & origo Nihili, & non essendi: & est id quod Non est: à semetipsâ, & ex semetipsâ, ac semetipsâ est Nihil, & Non ens. Ut DEUS, est suæ omnisque Essentiæ pelagus: sic Creatura est suæ omnisque
Non

Non essentia, & Non entitatis & nihili pelagus. Ut Deus, quantumlibet sese exhauriat, exinaniat, & annihilat; tamen impossibile est, ut Non sit: ut Nihil sit: ut id quod Est, non sit: sic Creatura, quantumlibet entificetur, ex non esse extrahatur, in Esse perficiatur, atque compleatur, tamen impossibile est, ut Non sit Nihil: non maneatque Nihil: & non toto Nihili sui innati impetu proruat in Nihil.

4. Quemadmodum Aër iste, quo vivimus atque spiramus: etiamsi per tot jam annorum millia, singulis diebus à luce Solis, ita illuminetur, atque lumine penetretur, ut quasi ipsum lumen fiat; singulis tamen diebus, seu noctibus, ita totum lumen deperdit, adeoque sequenti mane ac die rursum illuminari indiget, ac si nunquam antea fuisset luce perfusus, aut penetratus; Ita Creatura, quantumcunque in aliquod Esse de suo Nihilo educatur, & fiat: quantumcunque perficiatur, compleaturque, quantumcunque solidetur, firmetur, corroboretur; Nunquam tamen, etiam per absolutam Omnipotentiam, ita à suo Nihilo excedit, extrahiturvé, ita perficitur completurvé, ita solidatur & obfirmatur, ut vel ad momentum per se in suo illo obfirmatissimo quamvis Esse, permanere possit: si Omnipotentia manus ab eâ recedat.

5. Quemadmodum lapis Molaris, sursum rudente appensus, impediri quidem ille potest retinaculo, ne deorsum ruat: tamen ne toto suo pondere deorsum tendat, inhiberi non potest: sed omni momento, quo retinaculum fuerit amotum deorsum præceps ruet; Ita Creatura potest quidem conservatrice Omnipotentia in

Esse.

Esse suo conservari, ne in suum Nihilum recidat: non potest tamen præpediri, quin in suum Nihilum primævum assiduò tendat: & quin amotâ conservatrice manu, in ipso momento, esse penitus desinat: & Nihil, quod fuit, imò quod est; evadat, & existat.

6. Huic suo Nihilo Creatura debet, carentiam omnis boni: quocunque caret, omni autem caret: & impossibile est, ut non careat: nisi illud Deus, à quo est; & cujus est; & qui est, omne bonum ipsi congruum; donet: & omni quidem prorsus momento donet.

7. Eidem suo Nihilo Creatura debet, annexionem sive emanationem omnis Mali, quocunque scetet: & est impossibile ut non scateat, si sibimetipsi relinquatur. Inde Creatura, v. g. Homo, quod non sit in rerum naturâ, suo nihilo debet. quòd sit homo non Angelus, suo Nihilo debet: quòd corpus habeat infirmum, fluxum, deficiens, morbis obnoxium; quòd circumscriptum certâ mole, loco, tempore, duratione vitæ brevi, & quibuscunque, aut defectibus, aut miseriis, suo nihilo debet. quòd cæcus, luscus, surdus, mancus, claudus, gibbosus, distortus sit, suo Nihilo debet. quòd talis quidem non sit, at esse potuit, esse potest, aut forsitan erit, hoc suo debet Nihilo: quòd non fuit ante natalem suum; quòd brevi non sit futurus; quòd omni momento possit non esse, suo nihilo debet. Procedatur hunc in modum per omnes conditiones cujuscunque sive Creaturæ, sive hominis, per bona, makave Corporis, Animæ, fortunæ: per bona naturæ; gratiæ, gloriæ: per mala naturæ, per mala moralia, per mala pænæ. Si homo

V. P. Druz. Op. V.

B

bona

bona non habet; si habet sed amittere potest sicut reverà omni momento amittere potest imò quantum in illo est amittere laborat; suo nihilo debet. Si homo defectus habet, qualescunque illi sint; si non quidem habet, at omni momento habere potest, quin & quantum ex se, ad eos habendos tendit; suo id Nihilo debet. Quod autem, vel aliqua bona habeat, vel mala non habeat homo; non sibi, sed Creatori, & largitori omnium bonorum, amatori omnium malorum Deo, debet homo: & omnis alia Creatura, perinde ac homo.

8. Ex his, quæ satis modicè de Nihilo omnis Creaturæ delibata sunt, cognoscat omnis Creatura, & in specie omnis homo, quem sensuum in veritate habere debeat de se omnis Creatura: & in specie omnis homo.

P R A X I S.

Confitebor tibi Domine, Rex, & Pater celi, & terræ: quia docuisti me Nihilum meum quod ex me ipso sum, & quod non esse non possum. Ita Pater, hoc me de me nosse, & confiteri coram te placitum est ante te. Quia quidquid sum, quidquid possum, quidquid habeo boni, à te, ex te, per te, & per bonitatem tuam largitricem, sum, possum, habeo: quidquid etiam mali non sum, quod tamen esse potui, aut etiam fui, id etiam ex bonitatis tuæ procuratione habeo. Quidquid autem est in me, quidquid sum, quidquid esse possum, quidquid fui imperfectionis, defectus, cecitatis, infirmitatis, malitia, stultitiæ, perditionis, & omnis omnino miseræ malignitatisque, ad omne malum conversionis, ab omni bono aversionis: totum hoc meum proprium est, mei Nihili

Nihil
 & eg
 quia
 unive
 lus, &
 pecca
 qua
 nutri
 me.
 manu
 qui te
 tutis
 conse
 dona

I. S
 narur
 US r
 cula.
 2
 à se i
 est, u
 jus si
 admo
 effi
 ment
 3
 habe
 aliqu
 Crea

Nihili fructus, & emanatio est. Tu nosti Domine, & ego confiteor coram te, quia sum pulvis & cinis: quia canis mortuus: quia vanitas vanitatum, & universa vanitas: quia servus inutilis, piger & malus, quia filius mortis & perditionis, quia captivus peccati & diaboli, quia filius prodigus, quia Ovis quæ periit, quia in iniquitatibus conceptus, natus, nutritus, adultus sum, & non est auxilium mihi in me. Sed tu Domine, recordare, quoniam opus manuum tuarum sum, & homo infirmus, atque exigui temporis, magis etiam exigua, imo nullius virtutis, propterea dimitte mihi omnia delicta mea, & conservatibi in me omnia bona mea, quia ipsa sunt donata tua, pro quibus, benedictus sis in æternum.

EXERCITIUM III.

Quid sit Deus Creatura?

1. **S**Tatue te coram Deo, in Unitate Essentiæ Trinoperonaliter, & in Trinitate personarum Uno essentialiter. Hic est DEUS, DEUS noster: ipse est DEUS, & reget nos in sæcula.

2. Adverte: quòd quoniam Creatura ex se, & à se ipsa, & sibi, nihil omnino sit: ideo necesse est, ut ab alio, & ex alio, & alicui, atque alicuius sit: ejus nempe, à quo habet ut sit: quemadmodum figmentum, quod ab alio effictum est, effictoris sui totum est, à quo habet, quod figmentum sit.

3. Creaturæ ex sese prorsus Nihil existenti, & habenti; nullum quoque jus ad hoc, ut saltem ab aliquo alio quidpiam habeat, obtinendi; Deus Creator est, non ex ullo suo ad Creaturam debi-

to: non ex ullâ indigentia: quâ ipse Creatura addid
opus habeat: non ex ullo merito Creaturæ apud substa
se: non ex ullâ spe, alicujus ex Creaturâ, si cre 2
etur, emolumentum. non ex aliquâ, cujuspiam abfor
vel minutissimæ facilitatis subministracione, sessor
Creaturâ Deo præbitæ, ad faciendam se: non tem n
ex ullo extraneo invitatore, non etiam ex ullo & int
cooperatore, ac ne desideratore quidem, sed ex mem
merâ, unâ, solâ, Bonitatis, Benignitatisque sua Corp
Divinæ provocatione, ac emanatione, quâ com 3
placuit Deo, plenissime perfectò, & beato in se, & lar
se, egredi etiam quasi foras, extra se, & producere in no
Creaturas, ex puro quidem illarum nihilo; ex sed o
suæ autem Entitatis, ac Bonitatis emanatione, at tore,
que communicatione. us, si

4. Si ergo attendatur Creatura, ut ea ex ipsa posse
se, & in ipsâ se est; ita illi Deus nihil est, sicut 4
ipsa sibi nihil est. Sed si attendatur Creatura, fonte
ut ea Creatura, & creata, aut creabilis à DEO regul
est; ita Creaturæ jam Deus est omnia, seu est appet
& dat omne quidquid est, quidquid potest, ha mate
bet, in omni naturâ, & Entitate suâ inque omni dem
conditione congruenti, juxta artem sapientiamque amar
que Divinam, Naturæ, & Entitati suæ. 5

5. Dum itaque indagamus quidnam sit Crea
Deus creaturæ suæ; agnoscere, sentire, confiteri man
debemus, Deum, esse nostrum Deum, & omnia Impe
nostra, omniaque nobis. Hoc est disci

1. Debemus confiteri, Deum esse Crea- pupi
rem & factorem nostrum, ex nihilo quidem no- Pasto
strî ex nostro; ex Plenitudine autem Bonitatis debi
suæ, per Sapientiam, & Omnipotentiam suam, dem
hoc nos fecisse, quod sumus, & quod illi pla- cato
cuit de nobis, ut essemus. Nemo enim nostrum paup
addi-

addidit sibi, vel atomum sui de suo, sed omnis substantia, & sufficientia nostra ex Deo est.

2. Debemus confiteri, Deum esse nostrum absolutum Principem, Regem, Dominum, Possessorem, Governatorem, Conservatorem, dantem nobis esse, vitam, motum, & inspirationem, & intellectum, & voluntatem, & libertatem, & memoriam, & prorsus omnia, five Animæ, five Corporis, five quæ ad hæc sunt idonea.

3. Debemus confiteri, Deum esse & fontem & largitorem nobis, nostri Esse omnis. Nihilque in nobis esse, aut esse posse proprium nostrum, sed omnia sicut ex Deo, & à Deo gratuito largitore, ita etiam esse omnia Divina, & Divinæ illius, sicut donationis, & conservationis, sic etiam possessionis & dominationis.

4. Debemus confiteri, Deum esse nobis fontem essendi, lumen seu veritatem noscendi, regulam agendi, centrum tendendi, bonum appetendi, mensuram volendi, finem quiescendi, materiam laudandi, bravium acquirendi, mercedem laborandi, vitam vivendi, beatitudinem amandi, possidendi, atque fruendi.

5. Debemus confiteri, Deum, esse nobis Creatorem creaturis. Dominum servis. Herum mancipiis. Regem subditis. Pastorem jumentis. Imperatorem militibus. Patrem filiis. Magistrum discipulis. Nutritorem lactentibus. Tutorem pupillis. Medicum infirmis. Sponsum sponsis. Pastorem Oviculis. Judicem reis. Creditorem debitoribus. Retributorem merentibus. Redemptorem seu Salvatorem perditis. Sanctificatorem, justificatoremque impiis. Divitem pauperibus. Beatificatorem miseris, denique

Deum universis, & Omnibus, singulisque
Omnia.

Ecce hoc est Deus creaturæ. Hoc sciat Creatura de Deo, hoc confiteatur Deo, hoc amet in Deo, hoc veneretur, hoc exaltet, hoc laudet in Deo. propter hoc observet, sequatur, obediat, subjiciatur Deo. inhæreat & adhæreat Deo. & nec ad momentum declinet, separetur, discors det ab ipso. bonum atque Optimum ei sit, subditam per omnia se esse ei, à quo accepit, & semper accipit se quod sit. illi vivat, in cuius voluntate, omnis, & omnium vita est. illum amet ac laudet, ac honoret quem amando, laudando, honorando, beata sit.

P R A X I S.

Diligam te Domine, quoniam Deus meus es, & factus es mihi in omnia, & bonorum meorum non eges, quæ nulla in me iavenis præter ea quæ ipse in me facis. Exaltabo te Domine, quoniam creasti me, & suscepisti me, & de nihilo meo, de Bono autem tuo, formasti atque eduxisti me, propter quod, tua sunt omnia, & non est alius præter Te, qui benefacis eis, & nutricante Gratia tuâ foves, & servas universa, implens singula bonitatis tuæ benedictione. Ideo benedico te cum omnibus pro omnibus, & ipsimet omnibus creaturis tuis. Audite hoc omnes Creaturæ quas fecit Dominus; & auribus percipite omnes qui habitatis Orbem. quippe terrigenæ & quique Cæligenæ, filii hominum, & populi Angelorum, simul in unum, omnis Congregatio Creaturarum. Confitemini Domino, quoniam bonus, & dives in omnes: quoniam dat omnibus affluenter, & in seculum misericordia ejus.

EXER-

EXERCITIUM IV.

Quid sit Creatura Deo?

1. **S**Tatue te coram Uni- trino Deo , Patre, Filio, Spiritu Sancto ; qui est Deus benedictus , & laudabilis , & superexaltatus in sæcula.

2. Adverte, quid huic Deo , atque coram ipso, sit omnis Creatura? Et quidem si spectetur Creatura prout ipsa ex se, & in se, suisque propriis principiis, sive dotibus est; Manifestum est, illam, sicut ipsa, ex ipsâ, est sibimet omnino Nihil, & Nihil, ita quoque Deo eandem Creaturam esse prorsus Nihil, per omnia Nihil, ad omnia Nihil, ex toto Nihil. Si enim (ut vulgò dicitur) qui sibi nequam est, alteri bonus esse non potest; quantò magis, id quod sibi, & in seipso Nihil est, alteri aliquid esse minimè poterit. Creatura ergo Deo nihil est, nisi Nihil, & quidquid post se trahit, seu quidquid in se involvit nihil.

3. Nihil, involvit in se, trahit post se, habet in se omnem inanitatem, vanitatem, nihilitatem, defectuositatem, infirmitatem, impotentiam, inconstantiam, mutabilitatem.

4. Ex Nihilo manat Nox, & tenebræ, cæcitas & ignoratio, imprudentia, inscitia, error, & præcipitatio & temeritas, & amentia, & omnis Misericordia.

5. Ex Nihilo prodit omnis Malitia, nequitia, improbitas, impietas, injustitia. omnis noxa, & injuriositas, omne peccatum, & crimen, & scelestas ac propudiosa, irrequietaque malignitas,

24 *Exerc. IV. Quid sit Creatura Deo.*

perveritas, cupiditasque infrenis. obstinatio quoque, & obduratio, & obcæcatio, & impatientia, tarditas, negligentia, incorrigibilitas, ac æternum malum.

6. Ad Nihilum consequitur, mendicitas & pauperies, egestas, ac nuditas omnis. Confusio, probrum, pudor, inexcusabilitas, odibilitas, & execrabilitas. Nausea, fæditas, sordities, abominabilitas, turpitudò.

7. Ex Nihilo est, Mortalitas, & Mors, & perpetuus ad defectionem, interitumque conatus, & labor. Perditiõnis quoque omnis necessitas, ac ipsa perditio, omnisque illam evadendæ impossibilitas.

8. A. Nihilo est, Indigentia omnis, & omnium, nunquam, etiam per absolutam Dei potentiam explenda. vacuitas abyssalis, impossibilitas omnis boni, nullius mali impossibilitas. Unde illud, Non est peccatum quod fecit unus homo, quod non possit facere alter homo; dici etiam pariter potest; Non est calamitas, quam subire aliquis homo, quam non possit subire & alter homo. Propterea & illud rectè dictum est. Homo sum, humani à me nihil alienum puto. dixisset plenius. Nihil sum, nihil à me, nihil alienum puto.

9. Ista sunt, & aliæ præterea captui humano non capiendæ, Nihili, infelicissimæ opes, ac dotes. Cum quibus sese Creatura quælibet offert, repræsentatque Deo, quando sese in suis propriis repræsentat. Jam quid eadem omnis Creatura, Deo, & coram Deo, quatenus est creata ab ipso, & habet sese ab illo datam, donatamque sibi; & absque ullâ intermissione hanc sui donationem

acci

accipientem perenniter ab ipso; paucis saltem perstringamus, perpendamus verò non paucis.

10. Creatura ergo prout à Deo est, est coram ipso, atque coram oculis ejus, & in Comparatione Majestatis & omnipotentiae ejus, omnino quasi nihil, & suâ existentiâ ac Entitate addens illi Nihil. Unde illa Davidica Vox; omnis totiusque Creaturae etiam Universim sumptæ, est Vox ad Deum; *Notum fac mihi Domine finem meum: Psal. 38. 5. Et numerum dierum meorum quis est, ut sciam quid desit mihi. Ecce mensurabiles posuisti dies meos: Et substantia mea tanquam Nihilum ante te. verumtamen universa vanitas omnis homo vivens.* (omnis creatura existens.) O David sapientissime, tu substantiam tuam coram Deo, agnoscis esse tanquam Nihilum: fateris esse universam Vanitatem: & insuper scire quæris: quid desit tibi? Desunt omnia ô Sancte. desunt omnia, quia & omnia, quæ tua sunt, & quæ tu es, aliena sunt, non tua: & hæc ipsa sunt tanquam Nihilum coram DEO & insuper, sunt universa Vanitas omnia in seipsis.

11. Creatura, Deo, & coram Deo, est tota, & totaliter, atque omnimodè pleno jure Dei: nec potest ullo modo, vel per se, vel quem alium, vel etiam per ipsum Deum, ab hoc jure possessionis, subjectionisque Divinæ absolvi, aut subduci. cùm planè impossibile sit, Creaturam esse, Divini autem juriseam non esse. Proinde tam frustra, quàm nequiter, ac impiè, dicit Creatura DEO: Nescio Dominum. Non serviam. Nam volens nolens, & habet Dominum: & servit: etiam dum non servit: hoc est, dum servire refugit: sed servit ad supplicium non ad præmium: quia servit ad odium, non ad gratiam: & rebellionem, pervicaci-

26 *Exerc. IV. Quid sit Creatura Deo.*

que suâ inobedientiâ, recedit à Deo placato, accedit autem ad DEUM iratum: excidit & excidit è manibus DEI tenentis, ac protegentis: incidit autem in manus DEI rejicientis, atque dispergentis.

12. Creatura Deo, & coram Deo, sive imensitati magnitudinis Dei composita, omnis, atque simul sumpta, & in omnem possibilem perducta, seu molis seu perfectionis magnitudinem, atomi unius portionem, proportionemque non æquat. Hoc sibi volunt illæ scripturarum exaggerationes. v. g. *Ecce gentes quasi stilla situla, & quasi momentum statera reputatae sunt: ecce insula quasi pulvis exiguus. Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo: & quasi Nihilum, ac inane reputatae sunt ei.* rursusque alio loco. *Multum valere, tibi soli supererat semper: (Domine,) & Virtuti brachii tui quis resistet! Quoniam tanquam momentum statera, sic est ante Te orbis terrarum: & tanquam gutta roris antelucani, quæ descendit in terram.* Si velit quis holocaustum offerre Deo: huic teste Isaiâ, *Et Libanus non sufficiet ad succendendum: & animalia ejus non sufficient ad holocaustum.* Si Universitas Creaturarum, convertat se totam in Vocem, clamantem Deo, Sanctus, Sanctus, sic erit omnis vociferatio ejus in auribus DEI, sicut folioli crepitanris in vastissimo nemore.

13. Omnis Creaturæ, duæ sunt coram Deo filia, tanquam sanguisugæ, semper dicentes, *Affer, Affer.* Una est Natura, altera Gratia, sive Indigentia Naturæ & Indigentia Gratia: (in creatura Rationali:) hæc enim duplicia bona, omni momento potest amittere creatura, & sibi à Deo perenni influxu suppeditari, & quasi assidue

fiduè de novo & novo conferri conservarique totalissimè indiget. Unde omnis Creatura perinde est Deo, atque tenellus quidam infantulus lactens, indigens perpetim ad ubera Dei pendere: omnemque succum cujuscunque substantiæ, in quocunque sit statu, Essentiævè, ac perfectionis gradu, trahere, & fugere. Alioqui, quomodo posset aliquid permanere, nisi Tu Domine voluisses? aut quod à Te vocatum non esset, conservaretur? Propterea meritò, & debitè, Gratia Dei, tam Naturalis, quàm supernaturalis ordinis, *Nutrix omnium appellatur à Sapiente.*

Sap. 16.

14. Omnis Creatura coram Deo, est unius ejusdemque pretii, æstimationis, utilitatis, necessitatisvè. Tanti apud Deum est, & Deo est, unus terræ pulvis, quanti supremus Angelus: tanti mundus universus, quanti unus vilissimus vermiculus. Omnibus Creaturis dicit DEUS: *Non estis mihi necessaria.* omnes illi dicunt: *Servi inutiles sumus.* Pulvis, & Cinis sumus. Ideo omni Creaturæ dicitur. *Quid habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Eidem quoque dicitur. *Quanto magnus es, humilia te in omnibus.* Deus enim pusillum & magnum fecit: nec plus ei necessarius, aut utilis est magnus, quam parvus, imò & quàm nullus. Quia illi tam facilè est facere totum Universum, quàm unicam atomum. Ea propter dictitabat sapientissimè, plenus Deo, Franciscus. *Tantum quisque est, quantum apud Deum est, & non plus.* Ergo non gloriatur ulla Creatura Sapiens in sapientiâ sua, & non gloriatur fortis in fortitudine suâ, & non gloriatur dives in divitiis suis: sed in hoc gloriatur, qui gloriatur; scire, & nosse me, quia ego sum Domi-

Luc. 17. 10.

1. Cor. 4. 7.

Eccl. 3. 20.

Jer. 9. 29.

Ps. 9. 24. Dominus: qui facio Misericordiam, & Judicium, & Justitiam in terra. Hæc enim placent mihi, dicit Dominus.

15. Ecce hoc Deo, & coram Deo est omnis Creatura, quod diu noctuque meditari, dixi, Sapientiam: & semper cogitare, intelligentiam. In hujusmodi verbis, Prudentia est: & ista scientia Timorem Dei docet, & largitur scientibus Vitam Æternam.

P R A X I S.

Domine, mirabilis mihi facta est Scientia tua ex me, & mea quoque ex te, exaltata est, & non possum, neque unquam satis potero ad eam. Quis Tu? & quis ego? quis Tu mihi? & quis ego Tibi? elongatum est utrumque hoc nimis à me. Tu quidem mihi Deus meus es, & omnia: Ego autem tibi quid sim planè nescio. sed tantum quod Nihil tibi sim, scio. Deus meus es Tu: & bonorum meorum non eges: tum quia nulla mihi sunt ex me, qui ex me Nihil sum: tum quia omnia quæ ex te sum, tua sunt magis quam mea: & quia hæc ipsa tibi comparata, nihil sunt coram te, & apud te omnia. O quem Te Domine, quem me appellem! Vocabo te Magnum? major es omni magnitudine: & magnitudinis tuæ non est finis. Vocabo te omne bonum, & omni bonum? sed tu es bonum super omne bonum, & bonitas omni bonitate melior. Vocabo te Pelagus Essentiæ: quia omnem Essentiarum plenitudinem, in te habes, & ex te possides, & à Te dimanare absque diminutione facis? at tu, Essentia superessentialis es, omni essentiâ, quam Creatura cogitare potest, essentialior, ac superessentialior. Me verò quid esse dicam? Nullum nomen quo me appellem, & confitear, reperio: nisi ut
me

me Nihil, Nihil, & Nihil, & Universam vanitatem, & Vanitatem vanitatum, universamque nihilitudinem profitear; atque per omnem superessentialis essentiae tuae infinitam immensamque vastitatem pronuntiem, & proclamem. Esse meum nihil est. Essentia mea nihil. Origo mea nihil. Patria & patrimonium meum nihil, divitiae meae nihil, posse meum nihil. denique omnia mea, nihil, & peccatum, & perditio aeterna, quam parturit ex suis visceribus nihil: cum omni cogitabili, atque possibili, miseriarum, malorumque multitudine: cujus mare, & abyssus est, nihil.

EXERCITIUM V.

Quid Deus debet Creaturae?

1. **S**tatue te in conspectu Domini Dei tui, in Essentiâ unius, in Personis Trini. Hic est verus Deus: & post illum non est DEUS: sicut & ante illum non est Deus.

2. Debeatne? & quidnam debeat Creaturae, five omni, five alicui, iste Deus? expendere, & pervidere diligenter debet omnis Creatura.

3. Et hoc quidem, in considerationem venire potest, imò & debet multipliciter. Vel enim cogitatur Deus creaturae debitor, ut illâ est ex ipsâ se: velut est ex Deo ipso. Deinde etiam, vel cogitatur Deus debitor Creaturae absolutâ debendiratione; vel, ex alicujus conditionis Deo aliunde impositâ; suppositione.

4. Ut Creatura est, spectaturque ut est ex ipsâ se; sic spectatae Creaturae, Deus nullâ penitus ratione quidquam, sed solum nihil debet: & quidquid nihil, suâ ex naturâ conditioneque exigit.

5. Quia

5. Quia enim nihil; est nihil; & nihilo, nihil est vilius, atque contemptibilius; ideo omnia Creaturae; ob suum, ex quo est, & quod est, & quod in se habet nihil; debetur à Deo contemptus, abjectio, & neglectus, ac derelictio in suo nativo nihilo, innatâque vilitate.

6. Quia nihil (quod creatura ex se ipsâ est) exigit esse de ipso se miserrimum, defectuosissimum, omni ærumnâ & infirmitate, atque fragilitate scaturientissimum: ideo Creaturae, ob istud suum nihil, à Deo debetur pariter abjectio, nullaque cura seu reputatio.

7. Quia nihil, (quod Creatura, ex ipsâ se est) exigit esse Malum, perversumque, omnis malitiæ, nequitiae, scelerositatisque plenissimum, ac feracissimum: ob quod est omnis creatura peccans, & peccatrix, tam in genere Physicæ Entitatis, ut Creatura irrationalis; quam in genere moralis rectitudinis, entitatisque ut creatura Rationalis; ideo Creaturae debetur à Deo, ob suum istud nihil, abyssaliter malum, omnisque malignitatis abyssum; odium, & ira, & furor, & supplicium, & perditio, & oblivio, ac derelictio, atque planè sepultura in perditione, & punitione æternâ.

8. Quia nihil, (quod Creatura ex se ipsâ sibi est;) exigit carentiam omnis boni, tam in genere Entis, quam Moris; imò exigit repugnantiam, & exclusionem, & impossibilitatem, quantum quidem ex se, cum omni bono; & cum perventione ad illud, perduratiōneque in ipso: exigit potius perpetuam tendentiam, & præcipitationem ad amittendum omne bonum: & ad recidendum in omne nihil, malum: estque hæc præcipita-

cipit
ri im
sum
nubi
suo
in n
viole
omn
peran
ob h
fertio
Nifi
mun
spon
tas.
2
cund
verò
ut ex
re gra
illa à
Deo
dam
ram
ita et
educ
cond
seque
ut ul
cut e
poter
test.
niti n

precipitatio vehementior, omni qui potest cogitari impetu, omnium montium, rupiumvé deorsum ex alto ruentium, omnium fulminum ex nubibus erumpentium, omnis velocitatis in cursu suo Solis aut temporis, adeo ut istam Creaturæ in nihilum, & malum præcipitationem, ejusque violentiam, sola & una Dei omnipotentia, atque omnipotentissima in Conservatione virtus, superare possit, atque superet: propterea creaturæ ob hoc suum nihil; à Deo debetur perennis desertio, & in nihilitudinis abyssalitatibus derelictio; Nisi Deum, ad suæ Entitatis Bonitatisque communicationem, ipsi Creaturæ profundendam, sponte suâ inducat, ipsius incontinentissima Bonitas.

9. Hæc sunt quæ Deus debet Creaturæ, secundum quod ipsa ex se sibi est, spectatæ. Jam verò quid debeat Creaturæ eidem, consideratæ ut ex Deo, & à Deo est, seseque ex ejus munere gratuito habet, advertendum est.

10. Et primò quidem, erga Creaturam ut illa à Deo est; absolutum debitum nullum in Deo est: nullum esse potest, sed sicut ad creandam, ex nihiloque in Esse producendam creaturam, nullo debito absoluteve obligatur Deus: ita etiam Creaturæ jam conditæ, & ex nihiloeductæ nihil eidem debet absolute: quia illam, conditam licet, potest, tam primo, quàm omni sequenti Creationem instanti, annihilare, ita, ut ultra Creationis suæ instans non duret. Sicut enim Creatura, ut à Deo esset, exigere non poterat, ita ut in Esse perduret exigere non potest. Sed quomodo potentix Creatoris Dei obtinuit nullo modo poterat, ne crearetur, & ex nihilo

hilo ad Esse prodiret: sic eidem potentia obnihilari nullatenus potest, ne ab Esse ad nihilum recidat quocumque momento voluerit eam recidere Deus.

11. Quodsi Deus Creaturæ, nec primæ Creationis, nec sequentis Creationem conservationi debitor est; consequenter, nullius alterius rei debitor absolute eidem est, esse potest. Solum ergo Deus Creaturæ suæ debitor, vel est, vel esse potest, ex suppositione alicujus, vel aliquarum conditionum: à suâ tamen tantum solius voluntate inductarum: idque nihilominus ita, ut has ipsas condiciones abolere, debitaque conditionibus inducta extinguere, semper quando cunque libuerit; absolute in ejus irrefragabili potestate voluntatis sit.

1. Itaque supposito; quòd DEUS creaturas velit in rerum Naturâ esse: debet illis dare Esse, & facere ut sint: impossibile est enim eas existere nisi Deus faciat: sicut & impossibile est easdem non existere, si Deus faciat, seu velit illas esse. Velle enim Dei, est ipsius posse: atque facere.

2. Supposito; quòd Deus Creaturas velit esse & perdurare in suâ existentia, debet illis conservationem, debet inquam illis, illum ipsum vivacem, efficacemque influxum suum continuum, continuatumque, quo illas primitus è Nihilo produxit: aliàs enim hoc subtracto ipsis, illico illæ ad Nihilum suum revolverentur.

3. Supposito; quòd Deus velit Creaturas conservare in datâ illis semel à se existentia; debet illis perpetuam suæ Sapientia cognitionisque presentiam: debet quoque suæ potentia cooperationem. sicut enim primò esse Creaturæ non possunt.

sunt, nisi dante illud eis Omnipotentia: sic nec ullam virtutem efficiendi, ac operandi potentiam, ipsamque actualem operationem ullam habere possunt, sine auxilio, concursuque ejusdem omnipotentia: sed illa debet concurrere, cooperarique cum ipsis, ad omnem illarum actionem: tanquam prima Causa.

4. Supposito etiam, quod Deus velit Creaturas conservare in Esse, & in consequentibus ad Esse, debet illis Gubernationem, atque Dominium, seu possessionem: Non enim eas conservare potest, nisi earum Dominus & possessor, & gubernator absolutus sit: à quo Dominio & regimine absolvere illas, sui que juris facere, & seipsum jure in eas privare, etiam ipse ille non potest: usque adeo Essentialiter omnis Creatura Deo subest: ut impossibile sit eam esse, & non subesse: sed eo ipso quo est, subest. ubicunque est, ibi subest. quamdiu est, tamdiu subest. Ut quid ergo, insipiens & infelix Creatura, & ea quidem rationalis, renuit subesse Deo? cum ei tam bonum (imò melius) sit subesse, quam esse. & longè melius sit Non esse, quam non subesse? Debet ergo Deus Creaturae suae omni, dominium & possessionem: supposito quod illi det conservationem.

5. Supposito; quod Deus Creaturae sit proprius, essentialis, & absolutus Dominus, ac possessor, uti revera est, jure (ut attigi) Essentiali, sive Essentialiter inexistente Creaturae, jure Creationis à Deo ex non esse, & ex nihilo eius; Jure deinde Conservationis quidem omni momentanea, conservationis ejusmodi, quâ creatura, tam accipit totum suum esse, omni durationis suae & tempore, & temporis instanti, quam illud totum

tum accipit primo, suæ ex nihilo eductionis momento, conservationis denique ejusmodi, quam, & per quam, Creatura, perpetuò, & essentialiter à Deo, ejusque potestate: eo, imo magis essentiali) modo, quo dependet splendor à lumine, visio ab oculo vidente, volitio à voluntate, intellectio seu cogitatio ab intellectu, animatio à cogitante, tempus à motu. Hoc ergo supposito, Dei in Creaturam essentiali, Proprietatis Dominiique jure: debet Deus Creaturæ, hujus potestatis, dominatusque in eam circa eam exercitium.

6. Et quidem propter Possessionem ac proprietatem, debet Creaturæ Amorem, Beneficentiam, Auxilium, Protectionem, Moralem & omnem penitus congruam cujusque conditionis providentiam, subministrando cuique virtutibus & conservandi se, & operandi juxta potentias sibi inditas, & conjungendi se similibus, & tuendi à noxiis, & deveniendi ad suum finem, sibi à Naturâ & amore ipso Naturæ præscriptum, præstitumque: demum reducendi, ad finem hunc, ab eo aberret.

7. Jam verò propter Dominium, potestatemque Gubernativam: debet Deus Creaturæ gubernationem illius. Cujus munera, & opera sunt Præcipere, seu præcepta imponere Creaturæ, hoc, vel illud faciendum. Prohibere etiam, hoc vel illud Creatura faciat. Permittere etiam sive concedere Creaturæ, ut hoc, illudvè, facere possit vel licite, vel saltem impune. Punire quoque Creaturam, si contra præceptum, prohibitionemvè aliquid exerret, committatvè: o

omnis enim præcepti legitimi transgressio habet culpam: omnis autem culpa habet pedisequam, & sententiam suam. quâ subditus Domini, vel absterretur, ne culpæ malum admittat: vel si illud admisit, læsus ordo rectitudinis ac justitiæ, sive debitæ subjectionis ad Domini legem Voluntatemque restauratur. Præmiare demum, seu præmio afficere benè operantem, sive benè subditam, sequetur ad Dei Domini Voluntatem modo debito generationem: dando Creaturæ; pro Virtutis, honesti ac Rectitudinis, sive Justitiæ ac suæ Voluntatis placito, amato, exercito, servatoque bono; bonum jucundum: quò Creatura; tum inducatur ad honeste, justèque, juxta Dei Voluntatem operandum: tum, si jam operata sit, debitè, justè, jucundeque præmiatur: Cujus præmiationis, sicut & punitionis, definitio, atque taxatio, penes Voluntatem Dei est.

3. Atque ab hac Dei, respectu Creaturæ tam Proprietatis, quàm Domini gubernationisque ac jurisdictionis potestate, nulla penitus eximitur Creatura rationalis, sensibilis, inanimata, cujuscunque conditionis, autoritatis, potestatisve sit: similiter ubicunque locorum, in cælo, terrâ, mari, inferis sit. Item quocunque tempore, atate, seculo existat. Ideo enim DEUS *Rex seculorum; Rex Regum; Dominus dominantium; Solus Dominus; solus potens; Dominus universorum* dicitur: *Solus esse is, qui postquam occiderit corpus, habet potestatem etiam Animam mittere in Gehennam. Solus ipse facit Angelos suos Spiritus, & Ministros suos ignem urentem.*

Apoc. 1. 16.

Luc. 12. 5.

Pf. 103. 4.

9. Adhuc autem, supposito, quòd Deus Creaturam ordinaverit, sicut defacto revera ordina-

ordinavit Angelos & Homines ad se, tanquam ad finem, bonumque summum, ac ultimum; non solum Naturalem, sed etiam Supernaturalem debet Creaturæ sic ordinatæ, providere de mediis ad finem ejusmodi necessariis, juxta sapientissimam, potentissimam, piissimamque suam voluntatem. Atque sanè est debitum, inter alia, omnis gratiæ supernaturalis auxiliantis, si actualis: gratiæ quoque Filiationis Dei, sanctificantis: tum etiam Virtutum, ac Bonorum Dei supernaturalium, gratiosam Deo Creaturam facientium: atque etiam collatio luminis gloriæ ad fruendum, intuendumque Deum necessarium: in quâ re possessio finis ultimi summi que boni consistit.

10. Denique: si Deus Creaturam, à suâ Sanctissima lege, per liberum suum arbitrium, à recto in pravum conversam, deciscentemque (ut est omnis Creatura rationalis convertibilis & peccabilis, inconstans de semetipsa, etiam semotâ extrinsecâ tentatione ad malum;) si, inquam, Creaturam collapsam, velit, statuatque reparare, & ad finem ultimum ex quo excidit rursus revocare; debet Creaturæ beneficium Salvationis, quo & eruat à malis, in quæ prolapta est, & à quibus, nullis, neque suis, neque alienis creatis, præterquam solius Dei misericordis, viribus erui potest; & restituatur ad bonum quibus excidit: & ad quæ item, non nisi, solius Dei ope, ac miseratione restitui valet.

11. Sic Homo, libero suo arbitrio abusus, & à Deo, ejusque lege, ac obedientiâ aversus, triplex malum incurrit, 1. Malum culpæ, quod est peccatum, seu prævaricatio legis, & læsio digni-

dignitatis Divinæ. 2. Malum servitutis atque captivitatis diabolicæ, cui quia plus consensit quam Deo, ideo, in servum traditus est à Deo: ut à quo quis superatus sit, ejus etiam servus sit. utque is qui, legitimo Domino Deo servire contempsit; illegitimo & violento Tyranno subsit. 3. Malum denique Mortis tam corporalis, quam spiritalis, quam æternæ ad pœnas inferni damnationis.

12. Idem Homo, eodem libertatis suæ contra Dei voluntatem & Honorem abusu, amisit bonum. 1. Justitiæ ac Innocentiæ atque Sanctitatis. 2. Gratiæ sanctificantis, ac Filiationis Dei. 3. Adeptiois, possessionisque finis ultimi summique Boni, nimirum Dei & beatitudinis æternæ.

13. Ab his malis erui hominem, atque ad hæc bona restitui, si Deus voluit; beneficium ei salvationis impendere debuit, & quia de facto restituere perditum hominem illi complacuit: de facto etiam Homini beneficium salvationis impendit. Et impendit ex merâ suâ, gratuitâque, miseratione, atque charitate: Impendit autem tale, quale nec in cogitationem, nec in spem, nec in desiderium, nec in meritum ullius, sive Hominis, sive Creaturæ cujuscunq; cadere potuit. Sed solus Deus sic dilexit Mundum, ut Filium suum Unigenitum daret, ut Mundus salvaretur per ipsum. Quod beneficium, Redemptionem vocamus: de quo nobis grandis sermo, & ininterpretabilis: sed non hujus loci: & cujus hic istam mentionem fecisse satis sit, sed considerationem, sed æstimationem, sed gratitudinem, sed usum,

fructumque ejus apud omnes nos, immensum
interminatum, incessabilemque esse opus est.

Et hactenus, quid Deus creaturae debet
consideratum esto.

P R A X I S.

Domine, Dominus, & Deus noster, quid dicis
omnibus fratribus meis Creatis: quid dicis
& ipsi Tibi de Te? audebitne Cor meum, & os meum
eructare hoc verbum de Te, & ad Te: quia Tu debetis
es Creaturis tuis? Et quis queso habet quidquam
non tuum? Quis obsecro prior dedit tibi, ut Tu res
tuas ei? Et quis est omnis rei Pater? aut de cuo
utero egressa est universa Creatura? Nonne populus
lum, & magnum, unus, idemque tu fecisti? Nonne
omnes nos populus tuus, & opera manuum tuarum
& oves pascuae tuae, manusque tuae? Nonne omnes
quicumque sumus, & quidquid sumus, tibi debemus
& te Creditorem habemus? Et quomodo jam nos
debitorem habemus, qui omnes non tantum debitor
tui, verum etiam debitum tuum sumus? Quid enim
tam meum, quam mihi Ego? & quid tam meum
meum, quam ego, si alterius sum, quidquid sum?
tamen, o Domine, ita est, & fieri taliter necesse est:
Tu sis Debitor noster, & a te debeantur nobis omnia
sicut & a te dantur nobis omnia. Nihil quidem dona
re nobis debes: qui quidquid donas, voluntate dona
non debito: quia tamen dedisti; donando, te debitor
rem fecisti: atque ut debitor fieres, donatorem te esse
voluisti. Si volueras non esse debitor, donator nec esse
nec velle esse debueras. Quis Pater non debet filiis
quis Pastor non debet oviculis? quae Mater non debet
bet infantulis? quis medicus non debet infirmis
quis dives non debet mendiculis? quis tutor non debet

bet pupillis? Et tu Domine quid horum nobis non es: qui nos creas, qui conservas, qui gubernas, qui nos possides, qui nos redimis, qui salvas, qui ultimus finis, & summum bonum, & Vita aeterna nobis es? Desine hoc esse, & desinis debitor esse: sed simul etiam dimittis nos in nostrum non esse. Habemus ergo Te Domine debitorem: & amamus, & gaudemus, & gratias agimus, & à te debita nostra exigimus, atque recipimus; recipiendo autem, tibi debitores nos constituimus, & confitemur. Hoc est enim arcanum grande pietatis circa nos tuæ, quod exhibendo nobis debita, Creditor fias: & nos, recipiendo à te debita, reddamur tui debitores.

EXERCITIUM VI.

Quid Creatura debeat Deo?

1. **S**tatue te coram DEO in Essentiâ Uno, in Personis Trino, qui solus habet immortalitatem, solus est Potens, solus Magnus, solus vivens in sæcula sæculorum.

2. Recognosce, te opus manuum Dei esse, facturam, & Creaturam ejus: & simul recognosce debitum, obligationemque tuam: (est autem eadem omnis creaturæ reliquæ conditio:) quâ obnoxius es essentialiter, & irrefragabiliter Deo.

Si enim factura factori, opus artificii, figmentum figulo, & omnis effectus causæ, in quantum talis est, debitor ejus est; cum tamen creati artifices, creatæque causæ, neque dent, neque dare possint, totum esse suis effectibus, aut operibus: sed ipsi effectus aliquam partem sui offerunt artifici ad se faciendum: quomodo ligna

veniunt ædificatori domûs ad manus: & figulus ex argillâ præparata fingit figmentum suum: ut proinde non tota Entitas figmenti, à figulo, nec tota substantia domus ab ædificatore proveniat: quanto magis factura Dei quæcunque, à DEO facta, ex Nihilo subjecti, totumque suum esse, & quidquid consequenter venit ad Esse, sortitur, sortiensque idem, per omnia existentiaæ suæ momenta; quanto (inquam) magis tota factura, & Creatura Dei, obligata erit debitis, Deo: totaque erit plenum & irrecusabile debitum Dei: à quo ita se nunquam expedire, sicut se à suo etiam Esse, exuere nunquam, possit.

Es igitur (ô Homo) debitor Dei: & debes illi Primo; Temetipsum: & omnia quæcunque in te sunt, ita ut tu totus, sis rotum, plenum, sincerumque Dei debitum. Sicut enim nihil omnino es, nisi quod à Deo es, ita etiam totum Deo debes, quod ab eo es: & quia ab eo es: Et quia, non solum te creavit; sed etiam in eo, quod te Creando fecit, conservat; & quasi continuo te de novo creat, teque tibi per omnia momenta dat & donat; etiam hoc nomine illi debes te, & tua omnia.

Rursum: quoniam Deus ob creationem & conservationem tui prædictam, esse Essentialiter Dominus, Possessorque, plenam tui Proprietatem habens, ideo etiam illi totalis debitor es. Jam quia Deus, tuus est Rex, gubernatorque: dirigens te, ac vivendi, agendique Normam præscribens, cujus præscriptis stare per omnia obligaris; & stare sic, est salus, sanctitas, Justitia, virtus, rectitudo, meritumque tuum totum; ob hoc etiam debitor Deo es universorum.

Insuper

Insuper: quoniam DEUS, te lapsum in omnem cogitabilem miseriam, ex mera suâ bonitate, & miseratione, in statum è quo excideras restituit: & tam sumptuoso modo (qualis est Filii Dei unigeniti Incarnatio, Vita, Passio, Mors, & universa Christi Oeconomia, atque Gratia, Lex, Doctrina, Meritorumque inexhausta congeries) restituit: hoc etiam nomine, sicut specialiter totus Dei es, sic & specialiter Debitor Dei es.

Denique ex eo; quia Deus, ultimus finis tuus est, summumque & omne bonum tuum, à quo totus pendes, & ad quod totis viribus tuis conniti debes, ex eo (inquam) Dei totus es: & esse debes: & debitum ejus totus es: & omnium illi debitor es.

In particulari autem, etsi strictim debita Homini ad Deum enarrando; hæc pauca de multis, imò de infinitis sunt.

1. Debes ô Homo Deo tuo Agnitionem, tam per naturale intellectûs lumen, quàm per supernaturalem fidei revolutionem: quâ mediante, cum cæteris gratiæ Dei auxiliis, pervenire debes ad agnitionem, visionemque intuitivam & beatificam Dei. 2. Debes ô Homo Deo, Confessionem tam Cordis, quàm oris, quin & operis. Corde enim creditur ad Justitiam: Ore autem fit Confessio ad salutem: nec sufficit mente aut linguâ confiteri Deum, sed opus est etiam operibus: ac denique cum res ita postulaverit, ipsis Passionibus, atque vitæ & sanguinis, pro Dei veritate, lege, honore, profusionibus. 3. Debes ô Homo Deo tuo, Spem & Fiduciam in ipsum, Recursum ad illum, Invocationem illius, & Orationem ad ipsum, & quidem solum: non recur-

9: 27:
operis
TOT
N
5

42 *Exerc. VI. Quid Creatura debeat Deo,*

rendo ad idola, non ad dæmonum invocationem, Sanctos autem Dei orare, vel invocare, est Deum in Sanctis suis, & invocare, & orare, & honorare. 4. Debes ô Homo Deo, Amorem & Dilectionem, seu Charitatem: quâ diligere debes Deum ex toto corde, mente, animâ, viribus, fortitudine tuâ. Proximum verò tuum, & omnia alia, & ipsum te, propter Deum, ejusque Amorem, & Dignitatem, & Voluntatem. 5. Debes ô Homo, Deo, Religionem, seu Cultum, & quidem latricum, venerationem, Sacrificia & Holocausta, aliaque Deo digna: tanquam Principii, principio, & fonti omnium Entium, omnis vitæ, Essentiæ, existentia, conservationis: & absoluti omnium Domini, jus vitæ, & mortis habentis, in sua voluntate seu potestate. 6. Debes ô Homo Deo, observantiam, Timoremque filialem, castum, sponsalem: debes & servilem; qui tamen minus est dignus Deo. 7. Debes ô homo Deo, servitutem, subjectionem, obedientiam omnem, usque ad exinanitionem, & defectionem tuam, si eam requirat Deus, ejusque causâ, absque ulla oblectatione. 8. Debes ô homo Deo, Laudationem, seu laudem, Honorem, Gloriam, Exaltationem, Prædicationem Nominis ejus, tam propter bonitatem, beneficentiamque illius erga omnem Creaturam, quàm propter eminentiam, excellentiam, Majestatem, Dignitatem, Perfectionemque illius, omni captu Creaturæ altiorum, & pleniorem. 9. Debes ô homo DEO, gratitudinem, & gratiarum actionem, incessabilem, pro omnibus ejus Misericordiis, & beneficiis in te. in omnem singulamque Creaturam, inexhaustè profusis. 10. Debes ô Homo Deo,

Deo, Desiderium Dei, & famem ejus ardentissimam, & inexplebilem, non tam ideo (etsi & ideo) quia tibi, bonum est, cum Deo, in Deo, apud Deum esse: quàm magis, quia ille dignissimus, & superdignissimus est; haberi, possideri, hereditari, intuitivè, beatificè, æternaliter, fruitivè.

11. Debes ô Homo Deo, omnem curam tuæ æternæ salutis: & in omni virtute perfectionis sanctitatisque absolutæ in tuo statu; ut quàm maximè placere Deo; tibi que Deus: & ut exaltetur Deus salutis tuæ per omnia se digna, tibi possibilia. Tua enim salus & æterna beatitudo est, summa quam ex te habere DEUS potest, exaltatio.

12. Debes ô Homo Deo, curam quantum ex te est: ut omnis Creatura Deum agnoscat, amet, laudet, ejus voluntati plene subjecta sit: ei uniaur, eo fruatur, maximè rationalis: pro irrationali autem, tu debes Deo suppletionem, & expletionem, omnis ejus officii, quod illa impendere deberet, si posset: & ob quod expletum, illa tuæ servituti addicta est à Deo, usque ad tui consumptionem, uti quotidiano discis experimento, atque oraculo prophetico: Omnia subjecisti sub pedibus ejus, oves & boves universas, insuper & pecora campi: terras quoque & maria, & omnia quæ in eis sunt: addixit tibi insuper cælos, & sidera eorum, nubes, & volucres cæli: demum & Angelos omnes, fecit administratores nostræ salutis spiritus.

13. Debes ô homo Deo tuo, jugem Dei tui tibi semper, & ubique, & intime, per immensitatem Essentiæ, per plenitudinem Sapientiæ, per efficacitatem omnipotentia, per rectitudinem

San -

44 *Exerc. Vll. Exhibitio ejus debiti Deo.*

Sanctimoniam præsentem; memoriam vivam, & a
manentem, & reverentem. Sicut enim te Oculi Dei
omni sole & luce plus mundiores, contemplan-
tur assidue: ita & te omni momento decet, tuum
cogitatum in Deo defixum habere.

In summâ, ô homo; debes DEO omnem
penitus sufficientiam tuam, quoniam nihil sufficiens
cogitare à te, quasi à te, sed omnis sufficientia est
Deo est; & idcirco universa plenitudo, sufficientia
tiamque, quantacunque est, Dei est: debeturque
à te Deo: & incessabili confessione reddenda est
Deo, alioqui perditur tibi nisi reddatur Deo: &
nisi servatur in ipso, reddita ipsi. Tunc enim ve-
rè servatur quando ad Deum reducitur; tunc au-
tem indubitatè amittitur, quando ad Deum con-
fessione non remittitur. Sicut tunc flumina sic-
cantur & pereunt, quando ad suæ originis Mari-
non revertuntur.

P R A X I S.

Hujus Exercitii sit sequens:

EXERCITIUM VII.

*Exhibitio ejus debiti Deo, quod Creatura de-
bet Deo.*

I. **S**Tatue te in conspectu Dei in unitate Trinitatis
& te effunde totum coram ipso, per omnes
affectiones, & exaltationes tuas. v. g.

DEUS, DEUS, DEUS. Tu solus, Tu ve-
rus, Tu unus, Tu Ens, Tu essentia existens es.
Tu à te ipso totus, & totum, & summum es. Tu
omne, sive, Omnia; non tamen multipliciter,

nec

nec multa es, sed unus, idem, simplex, & unitas, & summitas es.

Tu es, & Qui est es, & Deus es: & quidquid dignum te est, hoc es. Vivens, Verus, Sapiens, Potens, Magnus, bonus, altissimus, beatus, æternus, & hæc omnia, tam secum, quam Tecum, unum, idemque sunt, & Tu ipse sunt. Non est enim aliud Tibi Esse, & aliud Magnum, aliud Sapientem, aliud Bonum esse, sed Entitas, Essentiaque tua, est Sapiencia tua, & Veritas, & Omnipotentia, & Vita, & Magnitudo tua, & quidquid in Te est, non aliud à Te, sed tu ipse est: atque etiam Sapiencia, ipsa est Potentia & Veritas. & hæc, ipsa sunt Magnitudo, & Beatitudo, ipsa etiam Justitia, & Misericordia, unum, & idem, & ipse Tu. Ego verò sum horum Nihil. quia sum merum Nihil, non Ens, non existens, nihil habens, nihil potens, nihil operans, nihil merens. quia sum nihil, inanè, vacuum, & egestas, & sterilitas, & infirmitas, & vilitas, & miseria, & malum, & malitia, & odibilitas, & detestabilitas, & omnem perditionem merens, exigens, possidens, ex ipso me.

Tu DEUS, es mihi (id est, omni Creaturæ) Omnia. Es enim mihi Deus, es Deus meus, fons omnium, largitor omnium, Creator, Conservator, Rector, Dominus omnium, bonus omnibus, bonum omnium. Vita, beatitudo, finis, consummatio, centrum omnium. Ego Domine, sum tibi non aliud, quàm quod sum ipsi mihi: Nihil scilicet, Nihil merum, ad omnia Nihil, Neque possum transire à nihilo, & à Non esse, ad aliquid, & ad esse, nisi Tu facias, qui solus ex nihilo potes facere

facere aliquid esse, & miro quidem sed vero; ineffabili, sed palpabili modo, Nihil, facis Esse.

Propter quod, omne quod præter te Deum est, quidquid est, abs te est, tuum est, tibi sese sueque omnia, debet per omnia. quibus tu quidem reverè, & absolutè, nihil debes, nisi tuam voluntariam gratiam. Sicut enim non debebas illis ut essent, ita nec debes illis, ut sint. sed sicut fecisti omnia, quia voluisti, quod non velle potuisti; ita sunt & manent omnia, quia tu illa esse & manere vis: & volendo esse, facis omnia. quod tamen potes non velle; & si non velles, in nihilum suum statim revolverentur omnia: at omnipotens Voluntas tua, quæ illa fecit ut essent, eadem facit ut etiam sint.

Propter hoc ergo Domine; quia ego, & omnis mecum Creatura, quidquid sum, à te sum, & totus tuus sum: ideo debeo tibi meipsum, & cum meipso, etiam cætera quæ sunt in me omnia. Sum tuus servus, sum mancipium, sum jumentum sum & magis subjectus, quàm hæc omnia. Cætera enim, quæ irrationalia sunt; subjecta quidem sunt; at subjecta se esse, nec volunt: nec sciunt: nec debere esse noverunt: nec non subjecta esse aut volunt: aut velle possunt: sed solummodo sunt: at ego rationalis Creatura, subjectus sum, & esse cogor, & esse, cogique me novi: & velle possum; & velle debeo: & quamvis nolim nihilominus sum: & maneo: & manere, ac esse debeo, & ideo magis, quàm aut jumenta, aut bruta, aut saxa subjectioni succumbo; quia si nolim, si velim, subjectus sum: & per ipsum tam nolle quam velle; per ipsum tam subjectus esse, quàm subjectum non esse; ac nolle esse

nihil

nihilominus subjectus sum, & omnium debitor sum.

Igitur, debeo Tibi Deo, & Domino meo, totaliter totum me: & quidem etiam toto me. Debeo tibi Corpus, Animam, Personam, Substantiam, substantiæ annexa omnia, substantiæ vires omnes, viriumque actus omnes, debeo tibi omnia ista quæcunque addidisti mihi, ad omne obsequium meum, propter obsequium tuum. Unde etiam omnem Creaturam cum omni, & pro omni obsequio suo, quod exhibet mihi, obsequioque meo: debeo tibi, & perenni obsequio tuo.

Debeo tibi, cognitionem & notitiam Tui, debeo fidem, confessionem, prædicationem. Debeo, spem in te, fiduciam, invocationem, recursum, refugium, orationem, supplicationem. Debeo, gratitudinem, gratiarum actionem, laudem, adorationem, cultum, honorem, venerationem, timorem, reverentiam, glorificationem, exaltationem, religionem, devotionem, pietatem. Debeo, obedientiam, subjectionem, servitutem, obsequium, in omnibus rebus, locis, temporibus, circumstantiis tibi placitis, à te, vel tuo nomine, à tuis locum personamque tuam tenentibus, imperatis. Debeo tibi Amorem, desiderium, dilectionem, Charitatemque super omnia, ex toto corde, ex totâ animâ, ex toto me.

Propterea, Toto me, amo Te, toto inquam me, sive prout ipse sum, quidquid à te, personaliter & individue sum; sive prout cum omni creatura communico, & vinculo communitatis, atque meæ voluntatis unum & idem sum.

Quod

Quod, quia Nihil omnino est coram Te, cum Ego, quocunque modo sim, Nihil coram Te sim; & Amor meus, & omnis actus amoris, & omnis amandi te conatus, omnino & necessario nihil penitus sit; Idcirco debeo, & velle debeo: & (quod sum, possum) volo, & velle studeo, mendicare à te, ut des mihi amplius, dignius, validius Amare Te. Et cum nihil superfit, unde, & ego possim petere: vel Tu possis prestare mihi magis amare te, quam ipsum Te, & ipso Te:

Ideo, Toto Te, amo Te, & sic in æternum, volo, opto, peto, statuo amare Te. Toto nimirum Te, pro toto te, pro toto me.

O Sanctissima Unitas, ô Sanctissima Trinitas, ô Summa Deitas. ô te toto me agnoscere, confiteri, prædicare! ô te amare, æstimare, exaltare! ô te desiderare, concupiscere, in te aestuare, anhelare, ardescere! ô te quærere, invenire, cum si apprehendere, tenere! ô te pasci, nutrirî, sagi-revereri, impinguari! ô in te liquefcere, languescere, tui ipsi re! ô in te exhauriri, absorberi, perire! ô in tollatione transformari, transflammati! ô Deificari! ô Indivinari! ô te possidere, te frui, te gaudere!

